

est. Quocirca Pythagorei dyada etiam foemina appellarunt, quod ex ea, monadis tamquam effectiois atque patris ope, descripta atque definita corpora sunt generata: hoc enim ipso consilio priscos philosophos deorum alios mares, alios foeminas appellasse, dudum a viris doctis demonstratum est (t). Neque iuniorum interpretum plerique non viderunt, aliam dyadi vim tribui vix posse: tantum addiderunt nonnulli, istam, tamquam materiam, a monade siue Deo creatam genitamque esse, quod quidem eo usque extendunt, vt fere creationem ex nihilo Pythagoram statuisse contenderent (u). Huius autem opinionis infirmitatem satis castigauit illustr. MOSHEMIVS (w). Quapropter illa duntaxat relinquitur quaestio, an emanando fortasse atque effluendo ex Deo dyas siue materia secundum Pythagoram nata & exorta sit? Quod quidem omnino ita se habere arbitror, si Deum non monada istam, quae pars est vniuersi, dicas, sed ipsum potius vniuersum, τὸ ἐν illud, siue totum primae materiae complexum atque congeriem, de qua copiose paragrapho superiori disputauimus. Quo minus enim crassioris materiae molem ex monade, siue intelligente isto igne, condensato quasi & extincto, quod Heraclitus Stoicique volebant, Pythagoram deduxisse

(t) conf. BRVCK, l. c. L. I. c. 1. §. 15. p. 392.  
MOSHEM. l. c. p. 350.

(u) Conf. ERVDIT. ANGL. Hist. orb. vniuers. Introd. f. II. §. 56.

(w) Dissert. de creat. ex Nihilo. §. XIII. seq.